


V
C
2887



AK. 22. 36.

T. 2



PROELIVM
MAVRITIO
DVCI SAXONIAE VICTORI
ET
ALBERTO BRANDENBVRGICO

IVXTA SIVERSHVSAM

FATALE

IN MEMORIAM
BENEFICII MARESCHALLIANI

DIE V. OCTOBRIS MDCCCLXXVIII.

CARMINE CELEBRAT

M. CHRISTIANVS FRIDERICVS ZIEGLER.

MÜHLBERGA MISN.

VITEBERGAE,

EXCUDIT ADAMUS CHRISTIANUS CHARISIUS.

AK. 12.

1590

PROLILI

OPTIMI V.

1700. 1701. 1702. 1703. 1704. 1705.

TH

ATRIBUTO DE LIBRARIA PONICKAVIANA



COMITI ILLVSTRISSIMO
FRIDERICO CHRISTOPHORO
S O M M S,
NIGRAE AQVILAE ET SERAPHINO EQVITI, SAXO-
NVM PRAETORI, SAXOQVE REGIO PRAEFE-
CTO SVPERIORI ETC.

H O C C A R M E N

DEMISSISSIME CONSECRAT

M. CHRISTIANVS FRIDERICVS ZIEGLER.


ILLVSTRIS HEROS, quem niueis super
Attollit altum fama curulibus,

Qua vesper atque aurora sacrum
Purpureo lauit amne crinem!

En! nos auorum proelia Saxonum

Seri nepotes, factaque Principum,


Qui fulminatrices catervas
Hostibus inferuere saevis,

Et qui per ignes et per ahenea
Qui machinarum murmura, per globos,

Per arma, per caedes ruebant:
Praecipi velut Albis vnda,

Scripto dicamus carmine nomini
SOLMSI TVO, nam Tu poteras manu

Marteinque majorumque pugnas
Egregiis iterare factis.





ARGUMENTVM.

Cum Germania, pace inter Corolum V. imperatorem et Mauritium Electorem Saxonie Passavii facta, per aliquot menes pacata fuisse: Marchio Albertus Culmabaco Brandenburgicus, qui a partibus Mauritii steterat, novum movit bellum, quippe qui prorsus ab illa pace alienatus Mauritium proditionis insimulavit hostemque se illi posuit. Quare publicis legibus proscriptitur, praefertim cum, copiis nondum dimissis, multas rapinas in Bambergenses, Wurceburgenses et Norinbergenses exerceret. Hi confugiunt ad Henricum Ducem Brunovensem, qui cum Mauritio, cuius armis ab imperio Albertus erat traditus, ita se coniungit, ut illi episcopi et Norinbergenses pecunias, Mauritius autem et Henricus copias atque operam polliceantur. Collectis igitur copiis invadunt Marchionem, et anno MDLIII. die IX. Iulii iuxta Sivershusam in agris Luneburgicis citra Visurgin et oppidum Peinam proelium cum illo committunt, quo victor quidem Mauritius discedit, tertio tamen post pugnam die vulnere accepto exspirat. Conf. Arnoldus in vita Mauritii. Struvius in Corp. hist. Germ. et Menken in script. rer. Germ. T. II. p. 1390. seq.

A

Fas

* * *

Fas erit antiquam describere carmine pugnam,
 Et manibus, quae tela tenent, ducibusque virisque
 Armigeris, prolem Martis super aethera notam,
 (Qui fuit ingenio virtutibus, artibus heros,
 Alberti de stirpe fatus, qui germine primus
 Romanis aquilis ensem praeferre solebat,) .
 Sistere, fatalemque locum saevosque tumultus.
 Tempore, quo durus Mars pacis foedera rumpit
 Terribili, patriaeque lares perturbat in armis.
 Sedibus in cunctis longe lateque pererrat
 Teutoniae belli furor improbus, armaque sumit,
 Armis arma novis vires et viribus auctis
 Debilitare studet, quo jam fera proelia miscet.
 Qui non sanguineo squalentem pulvere Martem,
 Fulmina nec late tormentis grandibus acta,
 Saeva nec attoniti metuetis proelia, mecum
 Semineces artus lacerataque corpora, campum
 Germano madidum fuso de sanguine fratrum
 Adspicitis, caesum vulnus divique cruentem
 Mauritii, solem cui fata dedere rubentem.
 Discite, queis animis opus est ad proelia dira,
 Fratribus antiquis nunquam discedere campo.
 Maxima pro patria succumbere gloria quandam.
 Sed tu noster amor, decus et mea sola voluptas
 Musa favet! quamvis Martis violenta tremorem
 Arma tibi injiciant, bellum trepidique tumultus.
 Heroem canimus, qui Musis otia fecit,

Qui

Qui decus abreptum, valles, loca sacra Camoenis
 Reddidit, et coecam folio dejicit eburno
 Barbariem, monstrisque suis detruxit in altum.
 Rector purpureo cultu, quo praefide floret
 Gloria Musarum sedis, ne sperne Camoenam!
 Patres, qui sophies praecepta docetis alumnos,
 A quorum labiis desillant mella disertis,
 Adspirate meis coeptis Musaeque fauete!
 Et vos, queis socium me prospera fata dedere,
 Adlitis faciles placideque audite Sodales!

Iamque dies aderat, qua sub moderamine miti
 Irenes rediere duces, ut vincula neclant
 Pacis, Teutonici post tot discrimina belli.
 Est Bojis vrbis, Austriae contermina terris,
 Nomine Passauium, per tempora longa superstes,
 Hanc sibi selegit patriae de millibus vnam
 Venturis feclis testem Dea summa quietis.
 Conuocat iratas partes de Marte furenti
 Et placare studet, fanareque vulnera belli,
 Quorum iam sensu Germania tota gemebat.
 Alloquitur placido vultu verbisque disertis
 Regni ^{a)} conventum, cui tradita summa potestas:

„Me, me adsum, Proceres, in me conuertite mentes,
 „Et placide, quae verba feram, quae foedera pangam,
 „Auribus ad pacem patulis belloque remotis

A 2

Accipite

^{a)} Omnes, qui praeter Ferdinandum et Mauricium adfuere, leguntur in Annalibus Müllerianis p. 116. et in Sleidani lib. II. sub imp. Carol. V.



„Accipite, et mecum patriam defendite casu,
 „Nulla viget stabilita salus, si viscera rauco
 „In regione fremunt bello, civesque mouentur.
 „Squallida me petuit nuper falsasque soluta
 „In lacrymas, et tota tremens et tota molestum
 „Intus habens luctum, tristi peploque voluta
 „Teutonicis quondam Dea custos addita terris,
 „Quae tutata suum praesenti numine regnum.
 „Tristis replet adhuc repetitis planctibus auram,
 „Auxiliumque vocat palmas ad sydera tendens.
 „His ego nunc lacrymis, hoc acri mota dolore
 „Adueni placidumque Deae nunc porto leuamen.
 „Ne tamen incassum, ne sint conamina frustra,
 „Partibus a nostris metam properatis ad vnam,
 „Pax erit in terris, ni ludor imagine falsa.
 Dixerat: et ducibus tantis ad utrumque paratis
 Pacta^{b)} placent, terris redeunt noua tempora pacis.

Inuida percepit, nondum satiata cruento,
 Passauicum pactum tenebris furialis Erynnis,
 Tota tremens atrumque vomens e pectore virus
 Fertque refertque nouam fraudem, meditatur in iram.

Edidit

b) Pacis illius conditiones phures fuere, sed hae potiores: vt Caesar injuriae
 conceptae memoriam deponeret, neque per se neque per alium eam vlcisceret:
 vt Landgrauium liberum dimitteret: vt praefidia Hispanorum ex Wittenbergico agro deduceret: vt libertatem antiquitus concessam Hispanorum
 vel aliorum petulantia non opprimeret: vt religionem a Luthero emendatam
 vi armorum ne oppugnaret. Conf. Arnoldus in vita Mauritii. Recessus imp.
 tub anno 1552. p. 535. Goldastus in Const. imp.. T. I. p. 566.

Edidit horrendos sonitus et terret apertis
 Faucibus umbrarum sedem scelerumque catheram.
 „Ergo labor, curaeque nihil valuere nihilque
 „Spes concepta? refert diro clamore per umbras.
 „Quid iuuat ingentes equitum peditumque catheras
 „Sanguinis et caedis prius inflammasse furore?
 „Spes parilis mihi cassa fuit conamine? Strauchi.
 „Ensis ceruici nostrae, majora pericla
 „Nunc metuenda mihi, ni Tartarus ipse
 „Conglomerante manu vires et robora tentat.
 „Obtestor socios, Erei succurrite regno!
 „Cuncta salus nobis vno stat principis ausu.
 „Foedera contemnens paci contraria sentit
 „Marchio Brennorum saevis Albertus in armis,
 „Hanc mentem feruare ducis, qui mollis ad iram,
 „Hic labor, hoc opus est nostrum, renouare tumultum
 „Teutonicis terris poterit, nouus vndique surget
 „Interitus pacis, populi, verique micantis.

A 3

Dixe-

e) Scriptores rerum Saxoniarum quia tam in recitando nomine rusticci
 illius perfidi, qui Caroli V. in Ioannem Fridericum stantis exercitui viam are-
 nissam vadumque per Albim juxta Mühlbergam monstrauit, quam in allegando
 praemio, quod retulit, ita incerti sunt, vt alii illum Hans Strauch, alii Storch,
 alii Rautenstrach, alii denique nude rusticum perfidum appellant, et praemium
 partim omittant partim dubium ponant: operae pretium est ex Archivo Mühl-
 bergensi, quod quidem testimonium amico debemus, tam verum ejus nomen,
 quam praemium determinare. Ibi legitur verum illius fuisse nomen Barthel
 Strauchmann, quanquam se ipse etiam interdum Strauch scripsit. Ab Augu-
 sto, fratre Mauritiū accepit duos equis, 100 imperiales et praedium Borschitz
 ad vitae tempus. Quod etiam affirmat Auctor memorabilium Saxon. p. 478.
 Sagittarius in hist. Ioan. Frid. p. 38.



Dixerat: et triplici rediit succincta veneno
 Albertique petit turmas et turbine vexat.
 Vndeque militibus pugnandi saeva cupido,
 Spesque rapax praedae, magni quoque nominis ausus
 Contemtus pacis pariunt, noua regnat vbique
 Sanguinis humani sitis, heu furor arma ministrat!
 Nocte super media penetrat crudelis Erynnis
 Ad castrense ducis nullo cum murmure stratum,
 Inspiratque sui mentem, coecumque furorem
 E tepido in flammarum nulla ratione necantem
 Efflat, et ardorem bellandi in corde relinquit.

Mane nouo vix illa torum velocior Euro
 Liquerat, e somno se tollit vera propago
 Brenni, mutatis oculis vultuque feroci
 Conuocat electos, secum qui summa tenebant,
 Propositumque aperit bello sperare salutem,
 Spernere pacia ducum, ferro dissoluere foedus
 In requiem patriae junctum, maiora parare
 Commoda fata mihi nonenque decusque futurum
 Effingunt, nostrum decus hoc in Vosque redibit.

Annuit his dictis generosa cetera negatque
 Sub Ducis auspiciis tanti discedere campo.
 Armatis igitur vastant legionibus orbem,
 Dispoliant vrbes, agrosque impune pererrant;
 Angitur agminibus Germania plurima centum:
 Sicut vesanae tollunt freta versa procellae
 Nubibus et fluctus celsis, scopulosque superbos

Merge-

Mergere conuulsos alta radice minantur.
 Herbipolin primum viduant opibusque virisque,
 Ad Bambergenses spoliandos ire parati.
 Nec te praeterent praecellens artibus aptis
 Norimberga tuis, rapiunt pretiumque laborum.
 Conantur tandem fines penetrare Thuringi,
 Vique pari spoliare casas vribesque superbas.

Caesar ut audiuit Brennum non foedere pacis
 Stare suo, turbare procul ciuesque domusque
 Armorum sonitu, sacris nec parcere tectis:
 Attigit extemplo communem fulminis iactu
 Hostem regnorum, populo sceptroque carentem
 Iudicat, et sacrum tradit felicibus armis
 Saxonis, hunc tali jussu scriptoque salutat:

Teutonicae pacis nuperrima foedera tecum,
 Caesar quae iunxit, bone Saxo, sancta tenebit,
 Nec vult moliri quenquam contraria paci.
 Fert idem indignus contra te flare rebellem
 Albertum patriamque nouo vexare tumultu.
 Reslinguenda lues igitur ne serpat in altum,
 Exclusus regno majorum legibus hostis
 Aggrediendus erit tibi longe viribus impar.
 Hoc iubet et patriae requies et gloria sceptri
 Relligioque nouae pacis. Te fata secundent!

Ducitur iuvitus mandato aduersus amicum,
 Armaque, quae fuerant studiorum fida suorum,

Saxo-



Saxonidum praeses, sed iussa capessere fas est.
 Ergo iterum renocat juvenes Mauortis ad arma,
 Visitat ipse manum multis legionibus auctam,
 Quae celeri cursu campis instructa moratur.
 Exstruit igniuomis, quae fundunt grandine mortem
 Tormentis, bellum meditans alimentaque curat.
 Principibus, magnisque nouo se foedere jungit
 Vrbibus, Henricus Brunouici scepta gubernans,
 Cum manibus sequitur, cui parent cornua dextra,
 Nec mora, Mauritus jam multo milite septus
 Partibus ipse ducis praeest, inimicaque castra
 Alberti, quem nulla mouent prius acta precantum,
 Fortibus inuadit turmis acerrimus hostis.
 Guelphorum locus est, tum Siuershusa vocatus,
 Planicie celebris longe lateque locorum.
 Sistitur hic, castris aduersis castra locantur.
 His fese furtim miscer furialis Erynnis,
 In patulas studium pugnandi sibilat aures.
 Illius instinctu cinclii leuioribus armis,
 Terribiles facie barbaque per ora volanti,
 Ingentes equitum turmae se protinus angunt.
 Continuo surgunt celeres celeresque recedunt,
 Ensibus et miscent enses, atque ictibus ictus,
 Captanfur, gladiis captos ad castra reducunt.
 Vulnera vulneribus caedunt, & sanguine sanguis
 Profluit, atque jacet disiecto corpore corpus.
 Interea quaecunque manus meditatur in atra
 Proelia, pugnandi miraque cupidine flagrat.
 Ast prius eductas equitum peditumque cateruas

Hostibus

Hostibus opponit Brennis fortissimus heros,
Saxoniae genio, cui debet plurima facta,
His sese precibus commendat et arina suorum;

„Tu, qui praesenti patriam patriaeque penates
„Numine feruasti, cui nomen semper amatum
„Saxoniae, patriaeque patres vt mater in vlnis,
„Fouisti, ne cede meis a partibus absens.
„Huc usque armorum per te fortuna meorum
„Statque vigetque potens mediis feruata periclis.
„O sis propitius praesenti turbine pugnae!
„Queis animis opus est, animum cum viribus infla,
„Ut fortes pugnant, redeant victricibus armis,
„Curaque si qua mei capitis tibi cara videtur,
„Auxiliatrici tutum me protege dextra.
„Mille pericla meis per te ceruicibus olim
„Acta dedere fugam, fidus laterique sodalis
„Haefisti, contra Turcas bis castra sequutum,
„Faucibus ex patulis texisti numine saluum.
„Imminuit milii jam ^{d)} pueri sub corpore letum.
„Nunc iterum dubii feror in certamina Martis,
„Stantque acies, certe pugnabitur, horrida terrent

„Pro

^{d)} In bello aduersus Turcas MDXXXXII. Mauritius certe interiisset, nisi
eques Misnicus, satelles quidem Principis, Sebastian a Reibisch (Ribissus) iei-
bus exceptis, quibus paulo post succubuit, saluum illum seruasset. Legitur
ejus Epitaphium in Mencken T. II. p. 1342.

❖ ❖ ❖

„Prodigia e). Heu squallens Aurora iugalibus exit
 „Sanguineis, abdit Phoebus ferrugine frontem,
 „Nec guttae frustra toties cecidere cruentae:
 „Talis erat facies, caderent quum Pergama quondam
 „Armis Grajorum, fortes cecidere sagati.
 „Casus erat capitis vehemens ab imagine nostra,
 „Et vento reliquis saluis disjecta taberna est.
 „Exitus in Diis est: haec omnia tristia in hostem
 „Nunc precor, auertas, tibi tradimus omnia nostra.

Dixerat: exemplo juvenes vexilla sequuti
 Ordinibus longis flant et praecepta facessunt.
 Itur in aduersas f) acies, et murmure rauco
 Aera sonant, terrae mixtis cum grandine flammis
 Splendentes trepidant, horrendaque sibila reddunt:
 Non secus ac subita flamas cineresque procella
 Aetna furens imo trudit, tellusque polusque
 Infremit, et picea tegitur caligine Phoebus.
 Paulatim aera silent: series circumtonat omnis
 Bombardis, funditque globos ut grandinis imbrem.
 Interea renouant vltro citroque fragorem
 Tormentis grauibus, concussaque pondere tellus

Eru-

e) Illa prodigia leguntur in Camerarii oratione in funus Mauritii. Conf.
 Mencken T. II. p. 1260.

f) Arnoldus jam laudatus commemorat: Albertum equites instructos ad
 quatuor millia cohortesque peditum ad quinquaginta habuisse; equitum ve-
 ro Mauritii et Henrici numerum ferme quinque millium fuisse, peditum mi-
 norem quam Alberti.

Eruat caelos, lacerataque corpora quassat.
 Heu! quae scena necis. Mors vndeque et vndeque regnat,
 Absque rotis ruit hic currus cum pondere ferri,
 Illic puluereus flammis assurgit in altum
 Et vicina rapit secum, lacerataque perdit.
 Nunc aliae caedes: ambobus cornibus ictus
 Itur in horrendos, curuatis falcibus auras
 Percutit hic dextra percussas ille sinistra.
 Arma necant homines, nec diuum sanguine cretis
 Parcunt, nec curant humili de gente creatos.
 Mox resupinus equo Brunouico e semine princeps
 Sanguine pollutus cadit et descendit ad umbras.
 Non tamen absinuit pugnae pater, adspicit illum
 Exanimem toruus, collectis viribus hosti
 Acrius insistens audet sperare triumphum.
 Nec mora: progenies letali vulnere capto
 Altera procumbit, fuso quoque sanguine patris
 Polluti minuit lacerati pectoris aestum.
 Ipse cadaveribus circum vndeque et vndeque stratis
 Cingitur, in tanta nec tutus clade videtur.
 Tandem Fridricus fortis Luneburgicus heros,
 Innumerique cadunt generoso sanguine nati.

Fortiter interea Brennus stat rebus in arcis,
 Cordaque sollicitat jam desperata suorum.
 Ergo ruunt equites summa vi robora tentant
 Ultima, demissis loris atque ensibus hostem
 Fulmineis virgent, et fixa sede repellunt.

❧ + ❧

Restitit vnius²⁾ eques fugientibus, intonat ore:
 State viri! generosus eques majoribus auctam
 Non maculat fugiens famam, nec perfidus exit,
 Pro duce, pro patria strictos se mittit in enses.
 Stat fugitiua cohors, et equos in terga premendo
 Admotis flumulis pellentes pellit in arcam
 Congeriem, cinctosque necat crudeliter omnes.

Quis tibi nunc animus, trepidas cur, Musa, canendo?
 Quid tristis facies? quid vult et anhelitus oris?
 Horrisicum cantas, profer nunc horrida cantu.
 Ignibus heu! mediis pugnantum, flebile dictu!
 Heu! globus a tergo furiis agitatus inquis
 Mauritium pugnae caput ipsum sauciatur, alto
 Vulnere deprimitur prius ac deuicerit hostem.
 Approrerant celeres, terra tolluntque cadentem
 Qui steterant lateri, vulnus diuine cruentum
 Attonitis cernunt oculis, generosaque longo
 Corda dolor rumpit, seque abdit in ilia cursu.
 Saucius vnius erat Princeps formidinis expers.
 Fortis enim semper, dum spirat, robora mentis
 Inuictumque tenet pectus vitatque querelas.
 Innixus fulcro salicis praesentibus altas
 Inspirat mentes atque ad fortissima pellit.
 „Per captum vulnus, per vulneris hosce dolores

Obte-

2) Fuit ille Ioannis de Wolfen, cui Mauritius turmam equitum attribuerat, et loco consliterat paludososo atque angusto inter duo stagna, quo solum fugientibus patebat exitus. Conf. Mencken T. II. p. 1246.

„Obtestor pugnae socios, mea castra sequitos
 „Pro re Saxonica caput objectate periclis!
 „Quaeque ducis vestri rorantis gutta cruaris
 „Augeat ardorem pugnandi vimque manumque!
 „Acrius in lassum tormentis, ensibus hostem
 „Sistite, nec segnes procul hinc depellite Brennum.
 Herois fermo, sanguis, noua robora reddit
 Militibus, tendunt gestantes corde furorem
 In Brennos, de sede fugant atque omnia vincunt.
 Ingentes ^{h)} equitum captant peditumque cateruas,
 Innumerous armis currus vexillaque plura
 Eripiunt victis, carum ducuntque triumphum.

Millia nunc quatuor fatorum fauibus hausta,
 Illustri ⁱ⁾ tres stirpe fatos in flore juuentae,
 Bis septem regni ^{k)} comites equitumque trecentos,
 Sanguineum campum stragemque relinque Camoena,
 Fataque deuicti ^{l)} Brenni, qui caede fugatus
 Tandem succubuit patriis a finibus exul.

B 3

Te

^{h)} Numerus captiorum ad quinque millia, intersectorum' ad quatuor. Signa militaria hostibus érepta et ad Mauritium relata equestria quatuordecim, pedestria quinquaginta quatuor numerata sunt. Conf. Arnoldus.

ⁱ⁾ Principes illi fuerunt Fridericus Dux Luneburgicus, Carolus Victor aetatis 28, et Philippus Magnanimus aetatis 26, filii Henrici Brunouicensis. Vid. Mencken T. II. p. 1247. et Struy. corp. hist. ger. p. 1114. seq.

^{k)} In illis caesis comitibus fuit Philippus a Beichlingen, ultimus suae stirpis. Vid. Glafeus in hist. Sax. p. 292.

^{l)} De fatis Alberti vid. Pauli Preußische Geschichte p. 365. seq.



Te vocat ad luctus sub pectore vulnus amati
 Principis, hic poscit pietas consistere gressu.
 Quid valeant artes caesis medicando dolorem
 Paeoniae, quicquid sanare salubribus herbis,
 Conseruat, sed nulla levant medicamina vulnus.
 Tertia lux prolem divi statio[n]e reposcit ^{m)}.

Luctus acerbus adestrat castris, Germania luget,
 Principis alta domus, frater regio[n]que paterna.
 Non ita sublatum plorauit Dardana tellus
 He[ct]ora, vim Danaum, Trojanaqe fata morantem.
 Non fratrem Heliades, non caerulea mater Archillem:
 Mauritii ut casu pallentia vidimus ora,
 Et lacrimas manare pias gemitusque sonare.
 Occidit heroum patria tellure cluentum
 Maximus, expectata salus tutorque paterque,
 Auspicio cuius saturnia regna redibant,
 Et probitas et sancta fides, doctae quae Camoenae
 Fulmine Barbares multorum e finibus actae.
 Viribus immundos ignes extinxit in aris,
 Dum vitae praecepta dedit, justumque piuumque
 Constituit, coelique viam meliore lucerna
 Monstravit, scelerumque omnes effudit habens

Facta

^{m)} Corpus Mauriti Freybergam vbi XII. Calend. April. MDXXI. natus
 fuerat, deportatum ibi ad latus parentis et filii situm est. Intestina vero ejus
 in sarcophago quodam juxta castra, inter caetera intersectorum cadavera sepulta
 sunt, praesente duce Henrico, cum ambos filios Guelpherbyti sepieliendos cu-
 rasset. Conf. Arnoldus in fine vitae Mauriti.

Facta viri ex Albertiadum natalibus orti
 Summos ensiferi, primus qui cepit honores,
 Illa leguntur acu graphice perscripta manuque.
 Pannoniae tractus longe lateque potentes
 Sanguine et eructans Turcarum decolor Ister,
 Threicique patris lacrimae luctusque gementes.
 Francorum cernuntur ibi numerosa potentum
 Agmina, Mauritii quae vis fortissima turpi
 Dat conuersa fugae, tergisque ferocior instat.
 Denique perspicuis legitur distincta figuris
 Immortale decus, viuax per secula nomen.
 Eminet inprimis pax aurea parta facrorum,
 Munera Musarum gremioque scholisque locata,
 Albicolae stabilita salus nunc vsque superstes
 Sensibus occurrit nostris, o! concio grata,
 Plura, o! plura vigent et adhuc benefacta parentis.
 Illius alma manus Mareschalli pectora quandam
 Conciliat Musis, atque in noua praemia flectit.

Vos, qui munificis mensis accumbitis, omnes
 Annua nunc mecum grato solemnia plausu
 Concelebrate Viri memores memoresque suorum!
 Hac pro stirpe preces scandant super aetheris arcis:
 Firma salus vigeat, nullus impulsa vacillet
 Aduersae fortis tempestatumque procellis:
 Qualis, vbi vis saeva furit rapiensque furensque
 Raucisoni Boreae tumidas per marmoris vndas
 Nixa maris fundo, caput inter nubila condens

Conspi-

No. 1887 OR
 Conficutum vastae molis Marpesia cautes
 Debacchantis aquae fluctus immobilis audit:
 Talis et aduersus rapidam vim fortis iniquae
 Inconcessa salus perset tua, surgat et usque
 Laetior et major florentior atque per annos.
 His votis pro Saxonia noua jungite vota,
 Ut patriam pacis spirans mox leniter aura
 Mulceat, armorum sonitus sileatque per agros!
 Quaeque oppressa gemunt patriis nunc anxia curis
PRINCIPIS AVGUSTI dulcissima pectora, laeta
 Otia mox releuent placido redeuntia risu.
 Haec terris nostris repetito poscite yoto!
 Ut quae nunc miseri sunt turbita gaudia curis
 Illustrent tandem vacuas splendore Camoenas.




ULB Halle
006 792 030

3



✓D78

T.2
Vc
2887



PROELIVM
MAVRITIO
DVCI SAXONIAE VICTORI
ET
ALBERTO BRANDENBURGICO
IVXTA SIVERSHVSAM
FATALE

DIE V. OCTOBRIS MDCCCLXXVIII.
CARMINE CELEBRAT
M. CHRISTIANVS FRIDERICVS ZIEGLER.

MÜHLBERGA MISN.

VITEBERGAE,
EXCDIT ADAMUS CHRISTIANUS CHARISIUS.